

1733.

1. Ernström, Joannes Henricus Josephus : De medicina usi.
versu per nuntium et patrum acquisita
2. Reislerhaer, Christianus Henricus : De habita philosophical
tribunione et virtutibus
3. Golling, Georgius Christopherus : De remedio P. P. Pet. de
ssclius. ouvr. unguis in transalpinis jurecisti
unguis in alkemistis publica aduersitate.
4. Holzschuh, Carolus Sigismundus : Oratio de contiis
A. 1556. Nurnbergens celebratis in quibus Prodi IV.
Impr. auræ bullæ fuit sacra. Accedit inde
diplomaticas tempore istorum coniunctionum Nurn
bergi prouulgatorum. Longius reponit auræ
bullæ exemplarium oss. et typis impressum
- 5^o et 6^o Korten, Dr. David : De prima pace religiosa
Nurnbergensi

6. Mayfelerus, Iacobus Goropius: Burmatalis chrysogae.
nudus iung. viiius Historiam partis officioris ac
specieas structureas ubi cives placentem

7. Spies, Walpurgis Albus: de jure patrum potest.
li cives nuptias ciborum.

1733.

1. Ester, Iohannes Martinus: De jure asaphicularis per.
chi in parochialibus locis speciatione sylvis vngs
Pfarrhölzern.

2. Holzmann, Iohannes Michael: De transalpinis pro.
muntis rebus.

3. Kollerus, Iacobus David: Voluntarium imperii consortium
inter Prussianum Austriae et Autricum Bavaram
stuzz. disputationis erectorum publice. . . sub.
mittit

- 3⁴. Pflers, Christopherus Leibius : De probatioriis vel
7. Schurzicis, Martinus Gallus : In omniis paucitatem
exemplariorum quae ostine extant. Floracius manu
versus.
5. Spissus, Iohannes Albertus : De revocatione testatorum.
Ioram in primis reciprocorum

1737.

1. Feiger, Wolfgangus Sebastianus : Mexican venationis
consuetudinem . . . inauguatis his dissertationibus
intendit.
2. Krieger, Ioh. Paulus : De testamentis coram parroche
et testibus testibus occasions Cap 10. X. de testamentis.
- 3⁴. Schuler, Georgius Conradus : De usallorum delictis
amissionem feudorum ingreditur. 2^o Saec.
4. Spissus, Iohannes Albertus : De ori undorum pectorum

376

15 43.

Q. F. F. Q. S.
DE 1733, 5

REVOCATIONE
TESTAMENTORVM
INPRIMIS RECIPRO-
CORVM
MAGNIFICI
ICTORVM ORDINIS
CONSENSV ET AVCTORITATE
PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE
HONORIBVS
RITE AC LEGITIME
IMPETRANDIS
PVBLICE SOLENNITER QVE
DISPVTABIT

3½

JOHANNES ALBERTVS SPISIVS
PHILOS. D. ET PROF. PVBL.
EXTRAORDINARIVS
A. D. XXVI IVN. A. R. S. CLOCCXXXIII
H. L. Q. C.

ALTOFII NOR.
LITERIS MAGNI DANIELIS MEYERI.

24
T E S T A M E N T U M
P R E C E D E R I S
M A T T H E U M
A U G U S T I N U M
I C H A I R O M
P R O S U M M I S I N U T R O G A E I V R E
R I T U A L I C O L O G I C A E
R I T U A L I C O L O G I C A E
I O H A N N I S A T H E R T U S S P I S I A S
P H I L O S O P H I A E P R O F E P H A I
E X T R A O R D I N A R I A
A D O X Y A T M A T A D E C I P E R A
A H A C
A T O R H A I N O R
L I T E R I S W A G I S D Y N I E T I S M I L E T T I



PRAEFATIO.

Rem, si non inutilem, at certe supervacaneam et dudum ab aliis occupatam, plerisque, credo, videbor suscipere, qui de revocatione testamentorum, impensis reciprocorum, vel pauca commentari aggredior. Si qua enim, certe res testamentaria, quemadmodum nullo non tempore forensibus disputationibus uberrimam materiam praebuit, hodieque praebet; ita publicis quoque varii generis variaeque notae scriptis prope innumeris, atque adeo integris voluminibus, per omnia momenta diligentissime exposita est, ut post Homerum Iliada scribere fero censendus sit, qui hodie hoc in loco ex quacunque parte illustrando versari velit. Enimvero si vel maxime fatendum esset, nihil in praesenti a me dici, quod non dictum sit prius, tamen vel hoc nomine me ab aequis lectoribus veniam facile impetraturum confiderem, quod in exercitationibus

Academicis, praesertim quae inaugurandi causa conscribi solent, non semper nova atque singularia proponere necesse sit. Sed neque hac excusatione mihi opus esse, res ipsa unumquemque docebit, qui qualemcumque hanc dissertationem, non ex titulo aut arguento solo, sed ex tractatione, dijudicare voluerit. Vere enim recteque iudicavit, strenuus ille philosophiae pariter et iurisprudentiae eclecticae vindex, CHRIST. THOMASIVS, in praefatione Dissert. de prim. init. success. testament. apud Rom. etiam hanc iuris partem de testamentis atque ultimis voluntatibus, quantumvis alias diligenter excultam, nondum tamen ita exhaustam esse, quin multq; adhuc relict a sint eorum industriae, qui non tam variorum iuris interpretum sententias colligere, et laxiori vinculo utcunque connectere satis habent, quam potius propria meditatione in ipsa, veteris cumprimis atque masculae illius, iurisprudentiae adyta magis ac magis penetrare, et placita sua non auctoritatibus et magno doctorum agmine, sed ratione, legibus tamen rite informata, alisque subsidiis et administrulis probe instructa, firmare ac tueri gestiunt. Exemplo esse potest ipsum, de quo disputamus, argumentum, ab omnibus sane, qui vel de testamentis in genere scripserunt,

pserunt, vel leges ad hoc caput spectantes commentariis
 illustrarunt, vel etiam consilii et responsis, aliisve
 modis, iurisprudentiae studium inverunt, partim ta-
 Etum, partim quoque ex instituto tractatum. Pulchre
 etiam hic confirant doctores plerique omnes, et, cum
 alias, teste ibidem Thomasio, in quaestionebus testa-
 mentariis ius satis sit incertum, et communibus opinio-
 nibus contra communes refertum, tamen miro consen-
 si docent, testamenta reciproca, non solum vivis utris-
 que, sed etiam mortuo alterutro testantium, a super-
 stite, saltem pro sua parte, pro libitu corrigi rescindique
 posse. Primus inter Germanos, quantum mihi quidem
 constat, vir de iurisprudentia Germanica immortaliter
 meritus, IOH. SCHILTERVS, in aureo ad Pandectas
 opere, Exercit. XXXIX, §. 57 et sequ. contrarium de-
 fendit, testamenta eiusmodi non modo non post mor-
 tem unius, sed ne quidem invita altera, viva adhuc
 parte, mutari posse atque revocari. Quam sententiam
 deinde amplexus est, et peculiari dissertatione (*) ube-
 rius exposuit propugnavitque IOH. SAMVEL STRYKIVS,
 propria pariter et paterna laude celebris ICTUS; eandem-

A 3

que

(*) de testamentis coniugum reciprocis, Halae 1702. habita.

que etiam hodie plures doctores, atque partim integrā
Ictorum collegia, in respondendo sequuntur. Non hoc
michi sumo, ut in diiudicanda hac controversia plus alii,
ac tot tantisque viris, sapere, aut acriori prae ceteris
omnibus iudicio me pollere existimem. Interim fateri
non dubito, mibi nec communem atque veterem illam,
nec novam doctrinam hac in causa omnino probari,
et, quod dici solet, intra muros hic videri peccatum et
extra. Cuius quidem dissensus nostri rationes in praes-
senti commentatione expromere, atque adeo quaestio-
nem hanc, satis licet utrinque iam ventilatam, sub-
incudem denuo revocare libet: ita quidem, ut primum
de testamento, speciatim reciprocis, quamvis pauca, de-
libemus, postea vero de revocatione eorumdem, an et
quatenus iure tam civili, quam naturali, licita sit,
rationes tum negantium, tum affirmantium, sigilla-
tim expendamus, tandemque nostram hac de re sen-
tentiam proferamus, et idoneis argumentis confirmemus.
Breviter autem strictimque tantum rem persequemur:
iustum enim atque pleniorē tractationē temporis,
quod specimini huic inaugurali elaborando im-
pendere licuit, angustia hac quidem vice
non permisit.

I. Testa-

I.

Testamentum, a testando dictum, est voluntatis nostrae iusta sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri velit. Est haec definitio MODESTINI ICti, in *L. 1. D. qui testam. fac. poss.* eaque satis commoda et perfecta, si testamentum generatim pro ultima voluntate accipiatur, quod interdum, praesertim in legibus antiquis, fieri, SCHILTERVS notat, *Exerc. ad Pand. XXXVIII, §. 6.* quemadmodum etiam in quibusdam Galliae provinciis, itemque in plurimis LL. municipalibus, testamenta absque heredis institutione subsistere, ibidem docet. Idem quoque iure patrio nostro obtinet, ubi nulli descendentes vel ascendentes supersunt. *Reform. Nor. Tit. XXIX, Leg. IX.* Sed iure Romano aliter se res habet. Hoc enim quam maxime differunt testamenta et codicilli, aliaeque ultimae voluntatis species, omnisque testamenti vis ex institutione heredis pender, *§. 34 Inst. de legat. L. 10 D. de iur. codic.* adeo ut sine hac nullum testamentum valere possit, *L. 3 D. de his quae in testam. del.* hocque ipso unice dignoscatur, utrum codicillos, an testamentum facere voluerit defunctus, *L. 14. C. de testam.* Atque adeo hoc sensu Modestini definitio adaequata non est, non magis atque altera VPIANI, in *Fragm. Tit. XX,* cui testamentum dicitur mentis nostrae iusta contestatio, in id solenniter facta (*), ut post mortem nostram valeat. Vtraque enim et reliquis ultimorum voluntatum speciebus potest accommodari. Nec est, quod cum plerisque interpretibus differentiam in eo quaeras, quod iusta in his definitionibus dicatur

(*) SCHVLTINGIVS, in *Iurisprud. antequilin.* exhibet factum, ut referri possit ad testamentum.

tur illa voluntatis sententia seu contestatio. Quod si enim per iustum intelligamus legitimam et regulis juris conformem; nec quidem a testamentis satis discreti erunt codicilli, qui et ipsi, aequae ac reliquae ultimae voluntates, certam formam a iure praecriptam habent, nec sine debitissimis requisitis subsistere possunt. Sin iustum sententiam interpreteris solennem (quod tamen vix recte fieri ex altera illa Vlpiani definitione appareat) excludentur testamenta militaria, parentum, aliqua minus solennia et privilegiaria. Vid. quae hac de re in primis accurate disputat HERM. VVLIEIVS, in Comment. ad Inst. princ. de testam. ordin. n. 14. et seqq. Quare, si ad mentem iuris Romani formanda sit accurata definitio testamenti; vel definitio Modestini, generis loco acceptae, tantum addere oportet: *cum heredis institutione directa*; vel brevius testamentum sic definiri potest, quod sit *ultima voluntas directam heredis institutionem continens*. HOPP. ad Inst. l. c. Directae autem institutionis ideo facienda est mentio, quoniam fideicommissaria et obliqua etiam codicillis fieri potest, §. 2. Inst. de codicill. Nostra quidem pro instituto iam parum resert, utrum sensu hoc strictiore, an latiore illo atque generali, sumantur testamenta; cum, quae de revocatione eorum deinceps disputabimus, ad omnia ultimae voluntatis genera utique pertineant. Interim tamen posteriorem maxime vel ideo sequemur, quod testamenta reciproca fere non alia quam stricta significatione intelligere moris est.

IL

Requisita testamenti iusti breviter enarrantur a CAIO ICto, in L. 4. D. b. t. ubi: *Si quaeramus, inquit, an valeat testamentum, in primis animadvertere debemus, an is, qui fecerit testamentum, habuerit testamenti factio nem; deinde, si habuerit, requiremus, an secundum regulas iuris civilis te status*

status sit. Iusta igitur esse debet suprema voluntas, tum ratione personae testantis, ut habeat testamenti factionem, tum ratione materiae, et in primis formae sive solennium, tum internum, tum externorum, ut vocari solent. Quinam vero habeant testamenti factionem, vel non, et quae sint illae regulae iuris a Caio memoratae, nihil attinet hoc loco docere. Neque etiam varias testameitorum divisiones nunc recensebimus, cum nihil inde ad controversiam nostram melius rectiusque dijudicandam utilitatis redundet, et praeterea omnia haec in compendiis et systematibus Iuris ubique occurrant.

III.

Pergimus potius ad testamenta reciproca, et quae de his generatim potissimum observanda sunt, paucis lustrabimus. Dicuntur autem testamenta reciproca, in quibus mutua versatur heredis institutio directa, sive quando duo plures resve (nec enim praecise ad duos restringenda est definitio, licet usus sic ferat) se vel suos invicem heredes instituant: quemadmodum etiam alias substitutio reciproca in iure vocatur, ubi unus idemque testator heredes plures institutos sibi invicem substituit, *L. 4, §. 1 D. de vulg. et pup. subst.* Vnde recte praeposteram **OLDENDORPII** (non Vultei) *Tom. IV Conf. Marpurg. C. I. n. 3.* aliorumque nonnullorum subtilitatem esse moner **STRYCKIVS**, §. 39 *Dissert. laud.* quando mutua potius, quam reciproca, haec dicenda esse testamenta contendunt; (*) quanquam, si de vera Latinitate quaeratur, Oldendorpio utique assentiar. Duo itaque recte hic adsumt testamenta, et duplex heredis institutio, ea que mutuo ipsorum heredum consensu et voluntate facta; quo

B ipso

(*) Conferatur relatio, a SCHILTERO exhibita, *Exerc. ad Pand. XXXIX, §. 58.*

ipso etiam maxime differunt a testamentis simplicibus, quod in his infcio et inconsulto plerumque heredi defertur hereditas; in reciprocis vero inter testatores et heredes de hereditate invicem deferenda et acquirenda iam convenerit. Ceterum recte quidem observat Strykius, si vel unius tantum partis heres, vel extraneus plane, ab utroque fuerit institutus, licet et hic mutua voluntas concurrat, et duplex adsit heredis institutio, attamen reciprocum dici testamentum haud posse, sed simultaneum tantum. An vero propterea etiam quoad effectum a reciprocis differant eiusmodi testamenta, alia quaestio est: nos certe quibusdam in casibus etiam hisce accommodari posse, quae de reciprocorum irrevocabilitate disputantur, persuasi sumus.

IV.

Originem testamentorum reciprocorum seu mutuorum in Imperio Occidentalⁱ (*) non male ad Valentiniani III. Imp. aetatem refert CVIACIVS, ad L. 24 D. qui test. fac. poss. et STRYKIVS, in d. Dissert. §. 4. Huius enim extat Novella Tit. IV. de testam. in qua expresse approbat testamenta sive coniugum, sive aliorum quorumcunque, reciproca, iisque aeternam legis suae definitione firmitatem tribuit. Antea quippe iure Romano incognita vel prorsus illicita fuisse huiusmodi testamenta, dubitari vix potest. Quamvis enim rationes ex Lege Voconia et Iulia Papia Poppaea a Strykio petitae id non satis evincant; quandoquidem, etsi non inter coniuges, inter alios tamen obtinere potuissent testamenta recipi-

(*) De Orientali enim nihil certi definiri potest: nam Theodosii iun. constitutio, in L. 2 C. de infirm. poen. calib. qua facultatem coniugibus indistincte concedit, sibi invicem, quantum superstitis amor exegerit, relinquendi, ad alia potius, quam reciproca, testamenta spectare videtur; certe necessario hoc trahenda non est.

reciproca: admodum tamen verosimilis est BIGNONII opinio,
 in Not. ad Marculphi formul. Lib. II, Cap. 17, n. 1, pro captato-
 toris habitas fuisse eiusmodi institutiones, quales legibus
 Romanis veritas et nullius momenti fuisse constat ex L. 70
 D. de hered. inst. L. 64 D. de leg. I. L. 11. C. de test. milit.
 aliisque. Id quod etiam haud obscure innuere videntur ipsa
 Valentianii verba, qui novam hanc constitutionem suam hac
 ratione excusat, quod nec captatorum dici possit, cum duorum
 fuerit similis affectus, et simplex religio testamenta condentium.
 Quidquid eius sit, nullam certe testationis reciprocae in legi-
 bus anterioribus mentionem factam, immo nec iure Iustinianae
 neo quidquam hac de re cautum esse, Strykius monet. Ab
 eo tempore vero frequentari coeperunt testamenta mutua
 non tantum in Romano imperio, sed etiam apud Germanos
 aliosque confines populos, quibus reciprocas eiusmodi
 dispositiones saeculo iam post Christum natum VII. in usu
 fuisse, ostendunt formulae, quas Marculphus Mon. tradit
 Lib. I, n. 12, et Lib. II, n. 7, 8, et in primis n. 17. itemque
 Formul. Sirmond. 17. et 18, ex edit. Baluz. in Tom. II Capitul.
 Reg. Franc. Conf. GOLDASTI Rer. Alem. Tom. II, P. I, n. 13.
 Atque adeo sic hodie quoque in Germania nostra satis usita-
 tam esse illam testandi rationem, inter omnes constat; nisi
 quod in locis, in quibus Ius Lubecense obtinet, prohibita sit per
 Lib. II, Tit. I, art. 10, n. 60. Vnde si vel maxime iure etiam
 Iustinianeo invalida censenda forent testamenta reciproca,
 quod tamen variis ex rationibus negat Oldendorpius, Conf.
 Marp. l. c. frustra certe de validitate eorum omnis instituere-
 tur disputatio; cum certo certius sit, iuris Romani auctori-
 tetam, quantumvis etiam Germanis hodie magna sanctaque
 esse debeat, haud tamen aliter, quam salvis legibus moribus-
 que patriis et institutis, admitti posse: qua de re SCHILTE-
 RVS, Exerc. I, §. 12, et alibi passim.

Vtrum vero in scriptis fiat testamentum reciprocum, an sine scripto, et per nuncupationem tantum, itemque an priori casu in una charta, an duabus vel pluribus scribatur, nihil interest, quamvis prior modus usu fere solus receptus sit. Sed neque refert, privatum, an publicum, oblatum, an iudiciale sit; dummodo ubique solemitates debitae et forma a legibus praescripta fuerit observata. Non alia autem et horum testamentorum sunt requisita, quam quae de testamentis in genere ex Caio antea notavimus; nisi quod tum ratione personarum, tum etiam ratione solennium, ex natura ipsius negotii ob duplex testamentum, varia hic moneri queant, quae satis copiose persequitur STRYCKIVS a §. X usque ad §. XXXVIII. Ita, quod ad personas testantes attinet, notum quidem est, testamenta reciproca inter coniuges maxime usitata esse. Eadem tamen etiam, non modo inter sponsatas aliasque personas coniunctas, sed et extraneos quoscunque, locum habere, nullum est dubium; modo alias habeant testamenti factionem. Vnde, praeter alia, in primis requiritur, ut tum coniuges, tum alii reciproce testantes, sui iuris sint, et patria potestate liberati. Filios enim familias de iure civili, ne quidem patre consentiente, testari posse, diserte docet Imp. in pr. Inst. quibus non est permis. fac. test. et CAIVS, L. 6. pr. D. b. t. conf. L. 16. D. eod. exceptis bonis castrenis et quasi castrenis, in quibus habentur pro patribus familias: quemadmodum et iure patrio nostro de bonis propriis et adventitiis valide testantur, Ref. Nor. Tit. XXIX, Leg. 5. Ceterum vero nec aetatis, nec valetudinis testantium ulla hic habenda est ratio; atque adeo etiam inter vetulam et iuvenem, sanum et agrotum, et vel ipsi morti vicinum, condi potest reciprocum testamentum, quamvis ordinarie id fieri posse neget PRUCKMANN. Vol. II, Conf. 30,

n. 153.

n. 153. Ratio enim a commodorum aequalitate in actibus et negotiis reciproci necessaria petita , quemadmodum et alias non parum vacillat , sic ad testamenta reciproca eo minus quadrare potest , quod etiam citra omnem mutuae institutionis spem heres alter alteri existere queat . Quoad solennitates externas notanda in primis est quaestio a doctoribus ventilata : utrum septem , an quatuordecim testes in testamento reciproco sint adhibendi . Cum enim , prout antea iam dictum , plura hic et revera tot adsint testamenta , quot sunt personae testantes : unde etiam , teste MAEVIO , ad *Ius Lubec. P. II, Tit. I, art. 10, n. 11* , si statuto receptum sit , ut gabella pro testamento solvatur , duplex pro reciproco testamento coniugum solvenda , et , secundum CARPOVIVM , P. III *Iurisper. For. Conf. VII, Def. 22* , notarius conficiens hoc testamentum duplex quoque honorarium exigere potest : dubium sane videri queat , an et ordinarius testium numerus hic sufficiat , ac non potius itidem pro numero testantium debat multiplicari . Placet nobis GAILII , Lib. II , Observ. 117 , n. 2 et seqq. aliorumque hac in re temperamentum , sufficere utique ordinarium testium numerum , ita tamen , ut testes adhibiti diserte exprimant , se a singulis testantibus rogatos , singulorum nomine subscribere et signare testamentum , additis quoque sigillatum nominibus eorundem : tunc enim in effectu idem est , ac si bis subscriptissent . Alia vero ratio est , si in diversis chartis testari reciproce velint ; ubi sine dubio ad quodvis testamentum speciali , vel diversorum , vel eorumdem testium subscriptione et subsignatione opus est . SER YCK . de caui: testam. C. XV , §. 41 . Quod si actis insinuetur testamentum reciprocum , aut principi offeratur , cessat plane haec quaestio ; sed tunc necesse est , certe tutius , ut testantes simul iudicem aut principem adeant , ibique ultimam voluntatem suam declarent . Pariter etiam consultum est , ut ab alio potius ,

tius, quam alterutro testantium, testamentum scribatur, vel minimum altera pars in subscriptione disertis verbis testetur, hanc esse spontaneam atque liberam suam voluntatem, sequam eam in omnibus plenissime ratam habere. Quanquam vero ab utroque testantium necessario subscribi debere testamentum reciprocum, haud dubium est; sigillorum tamen diversitas non omnino necessaria videtur, sed potest v. g. uxor etiam mariti annulo in subsignatione uti. Denique circa heredis institutionem potissimum observandum, eti reciprocum dicitur tale testamentum, non tamen ideo necessarium esse, ut exesse omnino heredes se se invicem instituant, sed posse ab utraque parte alteri adhuc alium heredem adiungi; immo fieri potest, ut e. g. maritus uxorem solam, uxor vero maritum et extraneum simul instituat, cum, recte docente STRYCKIO, reciprocatio in institutione mutua, non in modo instituendi, consistat. Idque etiam aliquando prorsus necessarium est, ut si alter coniugum liberos vel parentes habeant superstites, quibus legitima non nisi honorabili institutionis titulo reliqui potest per Nov. 115, c. 3 et sequ. Praeterea quoque legata et fideicomissa accedere possunt, et plerunque accedunt testamentis reciprocis; immo de his ipsis maxime quaeritur, utrum legata eiusmodi mutuo utriusque remansantis consensu ac voluntate relicta deinde ab una parte iterum tolli possint atque revocari.

VI.

His breviter praemisis, nunc de revocatione quoque testamentorum pauca monebimus, antequam ad controversiam de iustitia illius, praesertim in testamentis reciprocis, dijudicandam pedem promoveamus. Ea generatim describi potest, quod sit eiusmodi actus, quo quis id, quod post mortem suam fieri voluit, se non amplius velle declarat: estque

vel

vel *totalis*, qua quis totum testamentum revocat, quaeque et *xat* *exxvi* revocatio dicitur; vel *partialis*, quae et *reformatio* a nonnullis solet vocari, qua testamenti pars tantum mutatur vel innovatur. Differt igitur a testamenti declaratione, qua voluntas dubia praecedens declaratur per posteriorem sive subsequentem; itemque a revisione testamenti. Vid. STRYKVS, *de caut. testam. Cap. XXIV, §. 17.* Fit autem revocatio ista vel verbis, vel factis. Verbis: quando coram testibus quis declarat, se voluntatem suam mutasse, et nolle amplius valere testamentum, *L. 27. C. de testam.* Sola tamen haec revocatio verbalis, seu nuda voluntatis contrariae significatio, testamentum solenniter factum non infirmat, *L. 36, §. 3 D. de testam. mil. §. 7 Inst. quibus modis testam. infirm.* nisi lapsu decennii a tempore conditi testamenti confirmetur, *d. L. 27 C. de testam.* Non enim satis improba sit videtur voluntatem suam solemni testamento comprehensam, qui nude eam revocavit, tabulis testamenti integris relictis. Idque etiam de testamentis nuncupativis admitti potest eo in casu, si, quod plerumque hodie fieri solet, notarius nuncupatam a testatore voluntatem, maioris securitatis gratia, in scripturam redegerit, ac instrumentum desuper confecerit. STRYK. *de caut. test. l. c. §. 35.* Alias enim ad confirmationem testamenti nuncupativi utique sufficere simplicem voluntatis revocationem, factam coram legitimo testium numero, arg. *L. 35 D. de reg. iur.* utique putarim, cum VINNIO, in *Comment. ad Inst. l. c. n. 3.* aliisque ibidem citatis. Idem quoque dicendum de testamento judiciali, a testatore in iudicio revocato. CARPOV. *Iurispr. For. P. III, Conf. V,* *Def. 27, n. 2.* RICHTER, *P. I, Dec. LIV, n. 18.* Conf. SCHILTERVS, *Exerc. XXXVIII, §. 73 et sequ.* Exceptio tamen est in milite, qui sicut hereditatem nuda voluntare dare, ita et adimere potest, *L. 15, §. 1 D. de test. mil.*

quem-

quemadmodum et legata fideique commissa nuda voluntatis contrariae significacione tolluntur atque revocantur, *L. 36, §. 3 D. eod. tit.* Factis denique et re ipsa revocatio fit duplaci modo; primo si testator testamentum inciderit, lacera-
 11) verit, scripturam induxerit, deleverit, cancellaverit, signa amoverit aut turbarit; de quibus modis doctores agunt ad *tit. D. de iniust. rupt. test. et tit. de his quae in testam. del.* quo casu res redigitur ad statum intestati, et datur heredi ab intestato hereditatis petatio, quae elidi nequit exceptione ex testamento, quippe ipso iure invalido atquerupto; nisi forte non consulto, sed incaute, quid horum factum sit, aut ignorantie testatore contigerit: tunc enim si legi adhuc, quod scriptum est, utcunque poterit, ratum manebit testamentum, *L. 1 D. de his quae in test. del. L. pen. C. de testam.* Posteriori modo revocatio fit, si testator tabulis testamenti integris relictis, aliud praeterea considerit; et tunc pariter per posterius ipso iure rumpitur prius, *§. 2 I. quibus mod. testam. infirm.* et heres in priori institutus quidem excluditur, succedit tamen heres ex posteriore testamento. Nec interest, utrum eiusdem, an diversi generis sit posterius testamentum: nam et scriptum per nuncupativum, solenne per privilegarium, publicum per privatum, et vice versa, mutari atque revocari posse certum est. Conf. RICHTER. P. I, Dec. 54, n. 24. Perfectum tamen esse debet posterius testamentum, tum ratione voluntatis, tum ratione solennitatis, *§. 7 Inst. cod. tit. L. 25 D. qui testam. fac. poss.* Quibus casibus vero contingere queat, ut vel prius nihilominus sustineatur, vel utrumque simul valeat, iam nihil attinet uberioris explicare. Conferri interim hoc de argumento generatim potest STRYKIVS, de *Cant. testam. Cap. XXIV.*; et BARDILI *Dissert. de revocat. ultim. volunt.* itemque LAVIERBACHII *Diss. de revoc. et cancell. testam.*

VII. Iam,

VII.

Iam, ut ad ipsam tandem quaestionem, quam ventilan-
dam suscepimus, accedamus, primum quidem certissimum
est, iure Romano testamenta aequae, ac alias ultimas voluntas-
tes, semper pro lubitu fuisse revocabilia. Evidenter, si de
iure antiquissimo Romano sermo sit, dubium hoc quodam-
modo videri potest. Constat enim, primis reipublicae Ro-
manae temporibus testamenta in comitiis calatis, spectante
atque audiente universo populo, fieri consuevit: cuius rei
fine dubio non alia ratio fuit, quam ut pro agnatis et gentili-
bus legitime facta lex tolleretur quoque legitime. Vid.
BYNCKERSHOECKIVS, *Lib. II Observ. C. II.* Quemadmodum
igitur, recte observante **THOMASIO**, in *Diss. de prim. init.*
success. test. Rom. §. XII., heredes hoc modo instituti legi-
timi potius fuerunt, quam testamentarii, uto volunta-
te et auctoritate populi constituti: ita vix liberum fuisse vide-
tur testatori, voluntatem suam dein privata auctoritate muta-
re, et heredes semel declaratos a successione iterum exclude-
re. Nobis interim et hoc fieri potuisse probabile est, argu-
mento ab arrogatione desunto, quae et ipsa olim in comi-
tis teste et auctore populo facta, tamen postea privatim per
emancipationem iterum tolli, et hoc ipso arrogatus iure suo-
rum heredum privari potuit. Sed haec iam paullo diligen-
tius excutere non vacat. Quidquid eius sit, de iure Iustinia-
ne res extra dubium est, et ex infinitis locis, partim dire-
cto, partim etiam per consequentiam, potest probari: quan-
quam vulgo doctores in allegandis his textibus non satis ac-
curate versari, et rationem iuris cum ipso iure identidem
confundere solent. Eminent vero inter alia verba **CONSTAN-**
TINI Imp. in L. I C. de SS. Eccles. ubi: *Nihil est*, inquit,
quod magis hominibus debeat, quam ut supremae voluntatis
post quam iam aliud velle non possunt, liber sit stylus, et licitum,
C quod

quod iterum non reddit, arbitrium. Quanquam enim Imperator his verbis non utique diserte mutationi, sed factioni testamentorum, favere videatur, et praeterea dispositio huius legis sigillatim ad legata ecclesiis et piis causis relictā tantum spectet: ratio tamen generalis est, dumque liberam esse iubet supremam hominis voluntatem, necessario sequitur, ut, si alia forte iam a testatore fuerit condita, etiam prior haec per posteriorem mutari iterum queat. Sed multo adhuc clarius, omniumque sane luculentissime hanc revocationem approbat, et vel in precibus principi oblatis locum habere ostendit HONORII ET THEODOSII constitutio, in L. 19 C. de testam. ubi ita Impp. *Voluntates hominum audire volumus, non iubere, ne post sententiam nostram inhibitum videatur commutationis arbitrium: cum hoc ipsum, quod per supplicationem nostris auribus intimatur, ita demum firmum sit, si ultimum comprobetur, nec contra iudicium suum defunctus postea venisse detegatur.* Sic vero etiam CELSVS, in L. 17. D. de adim. vel transf. leg. Nihil, inquit, prohibet priorem scripturam posteriorē corrigere, commutare, rescindere. Conf. L. 6. §. 2 D. de iur. codic. L. 12. §. 3 D. de leg. 1. L. 22 pr. D. de leg. 3. et L. 87. D. de cond. et demonstr. in quibus speciatim de legatorum ademptione idem asseritur. Adeo vero prorsus liberrima et illibata hoc iure deprehenditur haec testamenti mutandi facultas, ut eidem ne quidem renuntiari valide possit, nullaque adeo pactio vel conventione effici, ne voluntatem mutare licet, ne quidem iure iurando accedente, protut uno ore fatentur doctores et iuris interpres. Vid. LUDWELL. *Traict. de ultim. volunt. P. I. C. I., num. 3; STRYK. de caut. testam. C. XXIV, §. 3 et 4; LAVTERBACH. Colleg. Theor. Praet. ad Pand. Lib. XXVIII, Tit. III et IV, §. II.* aliquie. Post Iustiniani tamen aetatem usū etiam fori Romani, CPII praesertim, desuisse pactorum talium invaliditatem, neque, iam

etiam ante legem suam, adeo liberam amplius fuisse testamenti factionem, LEO Imp. testatur in *Novella XIX*, ubi et ipse eiusmodi pactis plenam firmitatem sanctione sua tribuit.

VIII.

Sed quaeritur, an haec dispositio iuris Romani cum principiis iuris naturalis, et regulis honestatis aequitatisque, conveniat; an vero sola ratione civili, et domesticis tantum reip. Romanae principiis, nitatur? Nos hic distinguendum putamus inter ipsum ius et facultatem testamenta mutandi, et facultatis illius, ut cum SCHILTERO (*) hoc verbo utar; *improbabilitatem*. Posterior utique non nisi a iure civili est, et ex libertate illa Quiritibus peculiari originem duxit, quae tanta erat, ut nulla obligatio facti eam infringeret; unde porro fluxit, quod testamenta factio non privati, sed publici iuris habita fuerit, teste PAPINIANO, in *L. 3 D. qui test. fac.* poss. neque adeo privato*rum* pactis restringi ac mutari potuerit, arg. *L. 38 D. de pactis*. Neque aliter, quam de ratione hac civili, intelligenda sunt illa I^{CT}orum axiomata: *Quod ambulatoria sit voluntas defuncti usque ad vitae supremum extum*, *L. 4 D. de adimi. leg. et L. 32, §. 3. D. de donat. inter vir. et uxor.* et, *quod nemo eam sibi possit legem dicere, ut a priore voluntate recedere non licet*, *L. 22 pr. D. de Leg. 3.* Naturaliter enim quam cuilibet siceat iuri atque facultati libi competenti renuntiare, cur non et testandi, ac voluntatem suam iterum mutandi facultati? *Quod vero attinet ad ipsum hoc ius, et revocationem testamentorum in se et simpliciter spectatam, ea sane naturali ratione non destituitur, sed iuste omnino liciteque fit.* Neque enim ullius ius laedit testator voluntatem mutando, qui nullum, dum viveret, heredi vel legataria ius ex testamento suo quae situm esse voluit, cum

(*) Exercit. ad Pand. VIII, §. 39.

omnis testamentorum vis ex morte testatoris demum dependeat. Id quod ipse Apostolus agnovit, in Epist. ad Hebr. IX, 16, 17; ubi testamentis morte demum confirmatis vim et auctoritatem tribuit. conf. Epist. ad Gal. III, 15.

IX.

De usu et auctoritate iuris Romani hoc in capite de testamentorum revocabilitate in foris nostris eo minus licet dubitare, quod constat, omnem rem testamentariam a Romanis demum ad Germanos pariter aliasque gentes transisse, cum olim plerisque fere testamenta prorsus fuerint incognita. Id tantum observandum, regulas illas iuris Romani de non admenda vel pactis, vel etiam iureiurando, testamenti mutandi facultate, iure hodierno et moribus Germanorum non unam exceptionem admittere, tum propter pactorum fideique servandae necessitatem, tum etiam ob receptam in doctrina de iureiurando auctoritatem iuris Canonici. Interim tamen iuris civilis dispositionem etiam hac in parte expresse sequitur ius patrium nostrum, in quo haec legitur constitutio: Ein yedes mag sein Testament und letzten willen endern, mindern, meren, und ganz abthun, so oft es will, ungeachtet ob es sich aines andern verpflichtet het, denn des Menschen will soll frey seyn bis in Tod. Reform. Nor. Tit. XXIX, Leg. 12. Quanquam et haec verba, ob es sich aines andern verpflichtet het, non tam ad vera pacta et conventiones super hereditate cum aliquo initas, quam potius tantum ad clausulam derogatoriam vel prohibitoriam posterioris voluntatis, vel etiam ad ius iurandum de non revocando testamento insertum, stare existimayerim.

X.

Positis his fundamenti loco de revocabilitate testatorum in genere, restat nunc, ut ex instituti ratione sigillatum

tim de testamentis reciprocis paucis dispiciamus, an et quatenus haec quoque revocationi et mutationi sint obnoxia. Illud igitur primum dubium non est, quin revocatio locum habeat, si mutua iterum utriusque testatoris concurrat voluntas; cum nihil tam naturale sit, quam eo genere quidque dissolvi, quo colligatum est, L. 35 D. de R. I. Sed neque tunc id fieri posse quisquam, credo, dubitabit, si clausula revocatoria in testamento reciproco expressè fuerit adiecta, arg. L. 23. D. eod. tit. Eo igitur potissimum haec quæstio redit: an testamenta reciproca, in quibus nulla clausula de libere revocando expressa appareret, vel invita altera viva adhuc parte, vel etiam mortua ea, a superstite corrigi revocarique possint. Quod utrumque sicut a plerisque doctoribus affirmari iam in praefatione montimus; ita nunc in rationes eorum, quibus hanc sententiam adstruere conantur, inquiremus. Earum tres exhibit STRYKVS, §. LXXXIII Dissert. supra laud. quem in recensendis iisdem nunc quidem eo libentius sequimur, quod potiores eum iam collegisse, ex comparatione plurium, quos ipsi evolvimus, auctorum compertum habemus. Prima igitur ratio est, quod plura hic adsint pistincta testamenta; unde sua sponte sequatur, unumquemque pro sua parte posse testamentum revocare, ut priorem scripturam posteriore corrigere, commutare, rescindere, per L. 17. D. de adim. leg. Altera: quod ambulatoria sit voluntas homini, ea que testamenti natura, ut ad extremum usque vitae spiritum minui et revocari queat. Tertia denique: quod maxima sit libertas testandi, quae nemini auferri possit. At enimvero nulla harum rationum rem confidere potest. Primum enim, si ideo revocari liceat ab alterutro pro sua parte testamentum reciprocum, quia duo revera adsunt testamenta; cur non item in contractibus bilateralibus, in quibus pariter duplex negotium verritur, et duo revera adsunt pacta, ab uoquoque paciscentium

C 3

pro

*Aff.**Rat.*

2.

3.

Discus.

pro sua parte poenitere licet? Quod si dicere velis, differre hoc ipso testamenta a contractibus et aliis actibus inter vivos, quod in illis poenitentia locum habeat, in his non item; egregia sane haec erit principii petitio. Adhaec, et si plura et distincta sint testamenta, tamen connexa sunt, et respectum ad se invicem habentia. Quod ad alteram rationem attinet, eam

2. tantum civilem esse atque LL. Romanis propriam, iam ante monimus: praeterea ambulatoriam quidem esse concedi potest hominis voluntatem, modo ne ambulet ad illicita et inhumana, ut ait OLDENDORPIVS, Tom. IV Conf. Murp. I. Tertia vero a summa libertate testandi petita eo minus admitti potest, quod, prout pariter iam diximus, illa improba testandi libertas, ut SCHILTERUS eam vocat, pars fuit peculiaris illius Quiritum libertatis, quam una cum iure Romano a Germanis haud fuisse receptionem constat. Vid. SCHILTERVS, Exercit. ad Pand. XXXIX, §. 56.

3.

XI.

Apparet igitur, non satis probatam esse eorum sententiam, qui testamenta reciproca simpliciter et sine distinctione ab unoquoque testantum pro sua parte semper revocari posse existimant. Videamus nunc, an solidiori fundamento nitatur huic et diametro opposita SCHILTERI, STRYKII, et recentiorum plerorumque doctrina, qui eadem pariter indistincte, neque vivis utrisque testantibus, nec post mortem alterutrius, a superstite seorsim mutari revocarique posse contendunt. Horum autem praecipua, immo unica ratio, in eo consistit, quod pactum subesse tacitum existimat eiusmodi testamentis, haecque adeo non tam testamentorum, quam pactorum iure censerit volunt. Audiamus ipsum SCHILTERVM l. c. §. 57. *Vtrumque [scilicet et ante et post mortem unitus revocari posse testamenta reciproca] communiter, inquit, afferant Dd. CARPZ. 3. 2. def. XI et XII. Conf. Argent.*

vol. 1,

Neo.

v

Rati. *Vtrumque [scilicet et ante et post mortem unitus revocari posse testamenta reciproca] communiter, inquit, afferant Dd. CARPZ. 3. 2. def. XI et XII. Conf. Argent.*

vol. 1,

vol. 1, conf. 84. Neque temere secundum ius Romanum, quo voluntates ultimae semper sunt revocabiles, lege licet per conventionem posta; qualis omnino his coniugum testamentis reciprocis subest, saltem tacite. Neque in eo assentimur Carpzovio, quod d. def. XI, n. 6. simpliciter negat, haec coniugum testamento mutua iure pacti subsistere, sed in vim ultimae voluntatis. Immo vero utrumque verum est: nam ultimae coniugum voluntates reciprocae in praevio consensu mutuo de se vel suis invicem instituendo fundantur ac subsistunt: igitur secundum communem iuris naturae regulam non nisi mutuo disfensi possunt revocari: multo minus poenitente superstitione licebit, re non amplius integra, sed ex parte defuncti per mortem adimplata. Similiter STRYKIVS, §. LXXV, postquam dixerat, testamenta reciproca non magis mutationi esse obnoxia, quam quodvis aliud negotium inter vivos celebratum, contractusve bilateralis: Namque, pergit, negari non potest, in istis aequis ac in his mutuum quiddam vel reciprocum, aut viciſſitudinarium, alternumve, sive pactum tacitum de se vel suis invicem instituendis, vel quomodo cunque quis loqui voluerit, subesse. Provocat deinde ad Schilterum, et Brunnem. Conf. 38, §. 19 et 23. At hinc necessario sequi, mutuam quoque fidem et obligationis exsolutionem aequalem utrinque requiri; mutationem vero, nisi consentiente atque approbante altera parte, nullam omnino fieri posse, vii vulgariter illius, quodque in omnium ore voluntat, iuris gentium atque naturae axiomatis: unumquidque, quo modo coaluerit, eodem etiam iterum dissolvendum esse. Sed vereor, ut his argumentis sententiam suam satis probasse videri queant duumviri eruditissimi rem accurate pensitantibus, nec nimio iuris patrii prae iure Romano amore (qualem in Stryckio certe circa hanc controversiam deprehendisse mihi videor) abrepitis. Mihi certe doctrinam hanc non omnino satisfacere
 In praefatione sum fassus. Pactum subesse in testamentis

13.

reciprocis non nego; immo vero, nisi me omnia fallunt, duplex potius, quam unicum, subest. Sed queritur, quale sit illud pactum, et in quid consenserint testamentum reciprocum condituri? An, ut ita se se ultro citroque heredes instituant, ut a neutro indistincte unquam revocari possit eiusmodi dispositio? Non credo. Id enim si agere voluiscent reciproce testantes; vel clausula de non revocando testamento adiecta (*), vel pacto successorio expresso, vel aliis modis et conditionibus certis, sibi facile potuissent prospicere: quorsum cautelae spectant a STRYKIO traditae a §. LXXX usque ad finem Difserit, saepius laudatae. Conf. PECKIVS, de test. coniug. L. 1, c. 43, n. 3. et sequ. et STRUVIVS, in Synt. Iur. Civ. Exerc. 32, th. 43. Nec dubium est, quin, si ipsi testantes rogati fuerint, an per mutuam eiusmodi dispositionem facultatem aliter statuendi sibi admere voluerint, negando fere sint responsuri. Itaque consensus ille mutuus de se se vel suis heredibus invicem instituendis non ultra extendi debet, quam natura negotii patitur. Consenserunt enim de hereditate mutuo deferenda et acquirenda, sed per testamentum, h. e. negotium sui natura mutabile, et cuius perfectio, ut supra ostensum, a morte testatoris demum pendet. Tacita igitur huic pacto tacito ex natura negotii inest limitatio sive exceptio: nisi alter voluntatem mutaverit: atque adeo omnis vis parti, quod testamentis reciproci subesse non immerito creditur, in eo consistit, ut, ubi altera pars voluntatem in testamento declaratam impleverit, alteri quoque poenitere amplius non liceat; minime vero, ut, nisi mutuo dissensu, testamenta eiusmodi nunquam omnino revocari iterum possint; et perperam hoc trahitur L. 35 D. de R. I. quae

(*) Non quidem iure Romano, sed tamen hodierno; quemadmodum et iure Romano donatio morris causa, alias revocabilis, per clausulam eiusmodi revocabilis fieri potuit, L. 27. D. de m. c. donat.

quae et alias non tam de modis, quibus necessario tolli debeat,
quam quibus tolli possit obligatio, intelligenda videtur.

XII.

Ex iis, quae modo diximus, iam facile est colligere,
quorum nostra tandem de revocabilitate testamentorum re-
ciprocorum tendat sententia. Nimurum distinguendum puta-
mus, utrum vivis adhuc utrisque testantibus, an vero de-
mum post obitum unius, de revocatione quaeratur. Priore
casu utique existimamus, testamenta reciproca, etiam invita
altera parte, a quovis testante ad libitum posse revocari;
dummodo id non clam, sed praescitu alterius fiat; quomodo
etiam usu fori Gallicani concessam esse revocationem, SCHIL-
TERVS notat *cit. §. 57. (a)*. Etenim, quod supra demon-
stravimus, hanc esse testamentorum naturam, ut ad extre-
num usque vitae spiritum libere corrigi ac mutari queant,
manifesti iuris est. Ius Romanum autem hoc in capite in foris
Germaniae receptum esse, inter omnes constat. Nulla igitur
apparet ratio, cur, quod in testamentis simplicibus licet, in
reciproci locum habere nec possit, nec debeat. Numerus
enim non variat rem; et quod duo vel plura hic adsunt testa-
menta, naturam singulorum mutare non potest. Hinc, licet
communi consensu mutuaque voluntate testentur, semper
tamen secundum naturam actus, quem celebrant, et secun-
dum regulas, quae actum istum efformant, dispositisse, adeo-
que facultate testamentum revocandi haudquaquam semet
abdicasse, censendi sunt, ut recte rationes subducit FINKE L-
THVSIVS, *Obseru. XC, n. 8.* Evidem Strykius hanc argumen-
tationem parum roboris habere contendit, propterea quod
non aliis, quam, quae nos ipsi antea reiecimus, principiis de
infinita libertate testandi innitatur. Verum, quidquid sit de

D

ratio-

rationibus LL. Romanarum, sufficit, eas hoc in capite notorie esse receptas. Et quamvis ratio civilis huius iuris ad Germanos utique non quadret, subest tamen, ut §. VIII. monuimus, ratio naturalis, quae ubique valere potest ac debet. Nec cetera magni momenti sunt, quae contra hanc testamenterorum reciprocorum revocabilitatem ex iure Romano ad structam in medium protulit Strykius. Ait: probe notandum esse, testamenta reciproca a Germanis primitus introducta, et Saec. iam VII, cum ne notae quidem Romuleae leges in Germania essent, frequentata, haec tenusque retenta fuisse. Hinc vero iam consequi, genuina quaestio[n]is huius deciden-dae fundamenta e Germanicis itidem potius, quam Iustinianei petenda esse iuribus. Accedere, quod in hisce ne men-tio quidem facta, nedium cautum quid sit de testamentis reciprocis; et hinc, cum de simplicibus tantum singulorum homi-num ultimis voluntatibus in iure Rom. sermo sit, leges istas ad testamenta reciproca applicari neutiquam posse. At enim vero Germanis, quod ipse vir doctissimus agnoscit, nulla prorsus, TACITO teste, de moribus Germ. Cap. XX, fuerunt te-stamenta; ergo nec reciproca. Et quanquam haec, quod ipsi supra §. IV docuimus, illis saeculo VII iam in usu fuerunt; non tamen ab ipsis primum inventa, sed potius a Romanis cum reliqua retestamentaria videntur adoptata. Quid? quod iam ea aetate in testamentis ad normam iuris Romani respexisse Germanos, manifeste patet ex Formula Marculphi LX XI apud Lindenbrog. et Lib. I. n. 17. edit. Baluz. quam supra iam allegavimus, et in qua ad legis Romanae auctoritatem disertis provoca-tur verbis. Etsi igitur vel maxime iure Iustinianeo incognita fuerint reciproca testamenta; sufficit tamen, ea iure Romano iam ante Iustiniani tempora fuisse approbata. Immo ne iure quidem Iustinianeo prorsus incognitas dici posse ultimas vo-lunta-

luntates reciprocas, appareat ex L. 26. D. de donat. m. c.)
 ubi reciprocae eiusmodi donationis mentio fit. Quod de-
 nique monet Strykius, dolum necessario in actibus recipro-
 cis involvere, si quis, quod serio semet agere simulavit, postea
 iterum mutare velit atque rescindere; parum ad rem facit.
 Dolum enim committere dici non potest, qui mutat id, quod
 suinatura mutabile iam ab initio semper fuit.

dub.

Remov.

XIII.

Satis, puto, probatum dedimus, testamenta reciproca
 vivis adhuc utrisque testantibus omnino esse ad libitum revo-
 cabilia. Aliud vero dicendum de altera quaestione: utrum
etiam, mortua iam alterutra parte, a superstite nihilominus
mutari revocarique possint? Quam sane cum Schiltero et
 Strykio prorsus negamus. Scilicet tunc vim suam exserit
 pactum, quod huiusmodi testamentis subesse antea docuimus.
 Sane enim, quod alter alterum in testamento reciproco here-
 dem sibi constituerit, non aliam ob causam factum esse vide-
 tur, quam quod ipse vicissim ab eodem institutus vel insti-
 tuendus fuerit. Nec dubium est, quin, si in confectione
 testamenti reciproci rogatus fuerit alteruter testantium, an,
 si ipse in eadem voluntate ad mortem usque perseveraverit,
 alterum deinde nihilominus eandem mutare aequo animo pati
 vellat, pernegrando utique responsurus sit. Quod si igitur
 superstes voluntatem suam revocet, pars altera defuncta ex
 ista revocatione decepta videtur, iniuriaque et fraus ipsi
 facta censeri potest, utpote cui iam non amplius integrum
 est, testamentum suum pariter mistare. Atque adeo, ut in
 pauca meam contraham sententiam, omnis haec de testamen-
 torum reciprocorum revocabilitate disputatio dijudicanda
 mihi omnium commodissime yidetur ex natura contractuum
 innomi-


innominatorum; quibus simile omnino videtur negotium, quod in testamento reciproco inter partes geritur. Quemadmodum etiam in his, re adhuc integra, et quam diu neutra pars vel rem, vel factum praesliterit, poenitere utrinque impune licet; postea vero, ubi ab una parte accesserit rei vel facti praefatio, poenitentia alteri non amplius permittitur: sic in testamento reciproco, vivis quidem utrisque testantibus, revocatio locum habet; minime vero post mortem alterutrius, ubi res non amplius integra est, sed ex parte defuncti per mortem iam adimpta.

XIV.

Possemus iam de exceptionibus quibusdam utriusque regulae a nobis propositae, itemque de cautelis circa testamenta reciproca observandis, nonnihil monere. Sed tempore exclusi iam plura non addimus, quemadmodum etiam ob hanc ipsam caussam adducta uberius explicare atque persequi non licuit, ut statim in ingressu monuimus.

Quare ut hunc tenuem laborem nostrum aequus
lector boni velit consulere, etiam atque
etiam rogamus.





Altdorf, Diss., 1732-34

X 238 9196



B.I.G.



Q. F. F. Q. S.
DE 1733, 5
REVOCATIONE
TESTAMENTORVM
INPRIMIS RECIPRO-
CORVM
MAGNIFICI
ICTORVM ORDINIS
CONSENSV ET AVCTORITATE
PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE
HONORIBVS
RITE AC LEGITIME
IMPETRANDIS
PVBLICE SOLENNITERQVE
DISPVTABIT

IOHANNES ALBERTVS SPISIVS
PHILOS. D. ET PROF. PVBL.
EXTRAORDINARIVS

A. D. XXVI IVN. A. R. S. CCCCXXXIII
H. L. Q. C.

ALTORFII NOR.
LITERIS MAGNI DANIELIS MEYERI.

